

do unitatem solvunt, & viam aliquam patefaciunt. At quantum ad Rruptionem, eam magis introducunt crassa, tenfa, dura & sicciora, ut lapides renum vel vesicæ. Item, sanguis multus, fervidus, vel multo flatu permixtus.

**EXTERNÆ. ANASTOMOSIN** excitant, medicamenta calida, acria, abstergentia, & vasorum orificia aperientia, ex quibus est alœe, quæ hæmorrhoides adeo frequenter movet, ut Itali ex centum hominibus alœeticis pilulis utentibus, nonaginta ferè hæmorrhoidibus laborare dicant. Idem præstant nimiam laxandi & movendi vim habentia, ut balneum aquæ dulcis, fomentum, coitus immoderatus, tempus calidius, quod facultatem irritat. **DIAPYCNOSIS**, nisi quis solutam unitatem velit, externis non indigere videtur. **DIÆRESIS**, ratione incisionis, fit à telis acutis, cæsim & punctim ferientibus. Ruptio fit ab ictu, contusione, lapsu ab alto, irâ cum clamore intensiore, vomitu violento, tussi nimia, conatu magno grave pondus attollendi, vel loco movendi, saltu inprimis post balneum, ubi vasa & totum corpus rarius redditum, cursu, luctâ, retentione spiritus, in conatu excrementa excernendi, foetum excludendi, & similib. quæ causæ promptiores sunt, cum vasa duriora & sicciora, ob frigus externum, extensioni resistunt. **DIAUROSI** v. seu erosio, fit à medicamentis vel venenis, quæ suâ acredine tunicas exedunt. Quò faciunt acrium & pravorum ciborum usus, inedia acres humores cõacervans & similia

**PROCATARCTICÆ** sunt, quæ sanguinem cumulant, ut suppressa ejusdem consveta per nares, hæmorrhoides, menstrua evacuatio, aliæq; plethoræ causæ: vel calidiorum reddunt, ut corporum motus vehemens, ær, cibus, potus largior, & medicamenta hypercatharsin inducentia, vehementia animi pathemata, vel omnia, quæ sanguinem ad superiora & inferiora commovent.

**DIFFERENTIÆ** jam veniunt considerandæ &  
**I. RATIONE GENERIS**, hæmorrhagia alia est Critica, quam natura gubernat. Alia Symptomatica, quæ potius à morbo & causa morbificâ, quàm à naturâ gubernatur,

tur,